III. *De Globulis in Sanguine & in Vini Fœcibus. Epiſtola poſthuma Domini* Antonij a Leeuwenhoek, *Societatis Regiæ Londinenſis, dum viveret, Sodalis digniſſimi, ad* Jacobum Jurin, *R. S. Secr.*

Delphis in Batavis.

EX proximis tuis literis Septimo Kalendas *Julii* datis, innotuit mihi, nobiliſſimos D. D. Regiæ Societatis, meas tres ultimas epiſtolas perlibenter accepiſſe, quod mihi gratiſſimum erat intellectu; Tibique, Vir doctiſſime, placuiſſe, tuas obſervationes de globulorum ſanguineorum magnitudine, meis obſervationibus congruere. Porro, dicis, Vir doctiſſime, non credo hanc explorationem fore indifferentem, ſeu inutilem, quoniam non impoſſibile eſt, quin illa obſervatio de globulorum ſanguineorum magnitudine in variis animalibus, una cum ſuis parvulis vaſculis, ductura ſit nos aliquando ad detectionem ubi, & quibus mediis hi globuli formentur, & inde determinatam craſſitudinem in eodem animali conſervent.

Deinde dicis, mi doctiſſime, hoc ampliori tua exploratione bene dignum eſt.

Ad hæc mihi aſſumo tibi, Vir eruditiſſime, objicere, me ad imaginationem eam adduci, nos nunquam ad explorationem illam perventuros, quomodo ſcilicet hi globuli ex materia fluida ad magnitudinis determinatæ globulos ſint coagulaturi.

Multis

Multis abhinc annis ad me aſportari juſſi vinum fermentans, quia hoc Vinum globulos producit fere ſanguineis æquales, quos vini fœces vocamus: & quamvis tale vinum microſcopio apponerem, tamen nil aliud videbam, quam innumerabilem multitudinem parviſſimorum globulorum aëreorum, ſurſum ad ſuperficiem vini adſcendentium, & ſecum illos globulos, quos vini fœces nominamus, ducentium. Cum jam in ſuperficiem vini venerant, ſeparabantur vini fœces a globulis aëris, & fundum repetebant, mihi non apparente, quomodo globuli, quos dicimus vini fœces, formabantur: & ſimulac, ni fallit memoria, globuli illi inferius deſcendiſſent, exibat ex globulo quoque iterum globulus aëreus, & ita denuo ad ſuperficiem Vini devehebatur.

Imaginor mihi, coagulationem illam, ac determinatam globulorum ſanguineorum magnitudinem à rerum primordiis eſſe creatas; nam ſi unus globulus altero major erat, ſuſpicamur exinde inordinatam circulationem fore ſecuturam, quoniam ſanguinem per varia vaſcula ſanguinea rapidè transfluentem vidi, quæ adeo exilia erant, ut ſimplex ſaltem globulus tranſire potuerit.

IV. *Ejuſdem*